

quoniam quod debui, feci; an poenitentiam agere super verbo meo, quia quod volui, non recepi.» Et infra: «Dicas forsitan mihi, quod bonum meum ad me revertatur, et quia liberavi animam meam, et mundus sum a sanguine hominis, cui annuntiavi et locutus sum, ut averteretur a via sua mala, et viveret. Sed etsi innunera talia addas, me tamen minime ista consolabuntur, mortem filii intuentem. Quasi vero meam illa reprehensione liberationem quaesierim, et non magis illius! Quae enim mater, etiamsi omnem quam potuit curam et diligentiam aegrotanti filio adhibuisse se sciat, si demum se frustratam viderit, et omnes labores suos esse penitus inefficaces, illo nihilominus moriente, propterea unquam a fletibus temperabit?» Et haec haecenus.

**1128** 27. De caetero tantus amulator erat mansuetudinis et pacis; ut si forte improbus quisque petitor durius extorsisset a negante responsum, haud facile deinceps cum eadem repulsa demitteretur inanis. Siquidem velut naturaliter, ut fatebatur, oderat omne scandalum; et gravamen cujuslibet hominis sustinere, ei admodum grave; non sentire impossibile erat. Adeo neminem sprexit, nullius hominis scandalum parvipendit, etsi veritatem Dei, justitiamque praetulerit. Nam et quoties oporteret noxios aliquorum vel reprehendere actus, vel impedire conatus, tam considerate fiebat, ut abundanter ipsi quoque qui laesi viderentur, haberent unde sibi pro eo satisfacerent in cogitationibus suis. Sane vidimus ex ipsis quoque nonnullos, et de quibus minus id videbatur posse sperari, ampliori devotione ejus post modum vel obsequiis deservisse, vel etiam adhaesisse vestigiis. Dicitur tamen et invidos habuisse, ut haberet meritum et ex eis. Caeterum tam singulariter eminebat gloria nominis ejus, ut pestis illa magis desperatione, quam livore tabesceret, et timeret agnosci. Quin etiam humilitate ejus et mansuetudine vincebatur, beneficiis suffocabatur, obruebatur obsequiis. Nimirum doctus erat vincere in bono malum, sicut ad quosdam fratres scribens, inter caetera ait: «Adhaerebo vobis, etsi nolitis: adhaerebo etsi nolim ipse. Invitis praestabo, ingratum adjiciam, honorabo et contempnent me (67).»

28. Usque adeo siquidem omnes homines germano amplectebatur affectu, ut eorum scandalo, sicut ipse fateri solebat, gravius ureretur, quibus nullum videretur occasionem scandali praebuisse. Plus enim piissimum peccatum gratuitum affligebat alterius scandalum, quam propriae immunitas conscientiae solabatur. Siquidem minus sperabat posse sanari quod unde procederet non videbat; magnum sibi e regione solatium fore perhibens, quoties inveniret unde satisfacere posset, vel homini pro se, vel Deo pro homine non sine occasione turbato. Erga omnium quidem hominum spirituale commodum incommodumve amplius afficiebatur: et sum-

(67) Epist. 253, ad abbatem de Praemonstrato, n. 10.

num ei desiderium, summum gaudium erat animarum fructus, conversio peccatorum. Et corporeas tamen necessitates piissimo miserabatur affectu; cujus tanta erat humanitas, ut non modo hominibus, sed irrationabilibus etiam animantibus, avibus compateretur et feris. Nec compatiendi deerat virtutis effectus. Contigit enim aliquoties, ut iter agens, fugientem, et (ut videtur) protinus capiendum vel lepuseculum a canibus, vel aviculam ab accipitribus, signo crucis edito mirabiliter liberaret, diceretque sequentibus frustra sese conari, nec ullatenus se praesente hujusmodi exercere posse rapinam.

#### CAPUT VIII.

*De scriptis sancti Bernardi, et animi ejus effigie in ipsis expressa.*

29. Haec nos quidem de sacris moribus Patris nostri pro modulo nostro sub brevitate perstrinximus. Caeterum longe eminentius in suis ille libris apparet, et ex litteris propriis innotescit, id quibus ita suam videtur expressisse imaginem, et exhibuisse speculum quoddam sui, ut illud quoque Ambrosianum merito illi posse videatur aptari: «Laude sua ipse se sonet, et laureatus spiritu scriptis coronetur suis.» Si quis enim nosse desiderat, quam sollicitus ab initio sui ipsius dijudicator et scrutator exstiterit, primum opus illius de gradibus Humilitatis inspiciat. Inde si quaeritur pie mentis religiosa devotio, transeundum ad homilias in Laudibus Virginis Matris; et illum quem de Diligendo Deo edidit librum. Si fervens contra suorum vel aliorum vitia zelus, legatur is quem Apologeticum vocat. Si vigil eodem in zelo circumspecta discretio, de Praecepto et Dispensatione disserens audiat. Quam vero fidelis cujuslibet pie conversationis commendator exstiterit et adjutor, Exhortatorius ad milites Templi Sermo declarat. Quam non ingratus gratiae Dei, ex his liquet quae de Gratia et Libero Arbitrio tam fideliter, quam subtiliter disputavit. Quam liber in voce, quam disertus, et in rerum superiorum pariter **1129** inferiorumque scientia locuples, in his quae ad papam Eugenium de Consideratione scripsit, diligens considerator agnoscat. Quam devotissimus praedicator alienae sanctitatis, tam diligenter episcopi sancti Malachiae vitam prosecutus ostendit. Nam et in Sermonibus super Cantica, et investigator mysteriorum, et morum aedificator magnificus innotescit. In Epistolis, quas ad diversas personas ob negotia diversa dictavit, prudens lector advertet, quo fervore spiritus justitiam omnem dilexerit, omnem aequè oderit injustitiam.

30. Fidelis etenim servus Christi non quaerebat aliquid suum: quidquid tamen erat Christi, sic curabat ut suum. Quae enim scelera non arguit? quae odia non exstinxit? quae scandala non compescuit? quae schismata non resarcivit? quas haereses non confutavit? Quid vero sanctum, quid honestum, quid pudicum, quid amabile, quid bonae famae, quid

virtutis, aut laudabilis disciplinae, suis ortum in qualibet regione diebus non roboravit ejus auctoritas, non fovit charitas, diligentia non promovit? Quid ante promotum dilari amplius non optavit? quid forte collapsum non totis pro loco et tempore viribus egit ut repararetur? Quis malitiam quamcumque disponens ejus zelum et auctoritatem non timuit? Quis proponens quodcumque bonum, ejus, si potuit, non consuluit sanctitatem, non desideravit favorem, opem non flagitavit? Quis ad sacrum in ejus pectore habitantis templum divinitatis, de quacumque tribulatione fideliter clamaturus accessit, et inefficaciter laboravit? Mœstus ab eo solatium, afflicti auxilium, consilium anxius, aeger remedium, pauper subsidium reportabat. Ita sese omnium fecerat servum, ac si toti genitus Orbi: ita tamen liber ex omnibus conscientiae suae curam gerens, tanquam soli deditus curae et custodiae cordis sui.

31. [Et quidem divisiones gratiarum commendat Apostolus (I Cor. xii): et si quis diligenter quaerit, inveniet diversos ab initio Dei famulos in diversis enituisse muneribus. Legimus enim viros in fide magnificos, multiplicibus claruisse miraculis: alios spiritum habuisse propheticum, et **1130** futura quasi praesentia, occulta velut sub oculis posita mirabiliter cognovisse. Alios nihilominus antiquorum litterae protestantur graviore ab continentia deditos, parcimoniam coluisse: alios in humilitatis proposito, spreto dignitatibus hujus saeculi, auctori saeculi plurimum placuisse (68): alios in doctrina verbi ad salutis scientiam plurimos erudisse; ut secundum promissionem Scripturae sanctae, luceant

(68) Haec inserta ex mss. variant in edit. et quibusdam mss.

## LIBER QUARTUS,

AUCTORE GAUFRIDO MONACHO CLARÆ-VALLENSI.

#### CAPUT PRIMUM.

*De reditu ejus ab Urbe, et asportatis inde sanctorum reliquiis. Item de beneficiis diversis ejus merito, sed ipso inscio, in alios collatis.*

1. Sicut sermone super Cantica canticorum vicesimo quarto servus Domini Bernardus Claræ-Vallensis gratulatur, et gratias agit illi; tertio quidem reditum ab Urbe suum clementior e caelo respexit oculus, et serenior tandem vultus arrisit, quod quiescisset rabies Leonina, accepisset finem malitia, recepisset Ecclesia pacem. Tanta vero exultatione Ecclesia illum Gallicana recepit, ut non minorem videretur de suo reditu exhibere, quam de pace reddita nuntiatam letitiam. Unde etiam mirari ipse saepiusque causari, quod dum sibi post tam graves frequentias hominum et tumultus, velut ab exordio valefaciendum saeculo judicaret, et tanquam

quasi stellae in perpetuas aeternitates (Dan. xii, 3.) Alii quoque in aedificandis coenobiis laborantes, amplificaverunt nomen sanctitatis: alii in seclandis scandalis et turbinibus hujus saeculi promovendisque Ecclesiae Dei negotiis efficaciter occupati, utiles in actione: alii in sacris meditationibus spiritualiter feriati, sublimes in contemplatione fuerunt. Quid horum nostro videbitur defuisse Bernardo? Imo quid horum tam insigne in eo non fuit, ut ad commendationem satis esset, etiamsi caeterorum aliquid non adesset? Nam et si multiplicibus Ecclesia sui temporis tam in supra memoratis negotiis, quam in aliis pluribus actionis ejus utilitatem meruit experiri: magnifice tamen etiam gratia contemplationis in eo tam ex visionibus et revelationibus Domini, quam ex scriptis suis, quae spiritualibus exuberant sensibus, elucescit. Porro monasteriorum fructus, quae per eum Dominus ordinavit, tam copiosus et evidens, humanis sese ingerit oculis, ut nullis egeat litteris commendari. Magis autem et ex ipsa quoque eorumdem multitudine coenobiorum omnis deinceps generatio certum capere poterit documentum, quantos collegerit ad servitium Christi, qui tam multos undique propagavit. Quod ad reliqua spectat, de humilitate ejus, et dignitatibus refutatis, sed et de tenuissimo victu, superius prosecuti, ex his quae ad prophetiam pertinent ostensionemque virtutum, sub alio quidem principio curabimus annotare perpaucade multis.] Et nunc igitur jam super his, quae in signis exterioribus, et multiplici virtutum exhibitione consistunt, secundus, ut praemissum est in praefatione, libellus aliquanta narrabit.

de novo adoriendum sacrae propositum conversationis; tunc potissimum uberius exciperetur gaudiis, obsequiis coleretur. Rediens autem Pater sanctus ab Urbe, ex sanctorum Apostolorum martyrumque corporibus xenia secum attulit pretiosa, haud modicum hunc sibi reputans fructum esse laboris. Inter quae beati Caesarii dentem quonam modo receperit, memorandum. Cum enim integrum ei praedicti martyris caput exhiberetur, ut toleret inde quod vellet, dari petiit dentem unum. Frustra vero aliquandiu fratres qui cum eo venerant laborantes, concessum sibi trahere penitus non valebant. Fractis enim cultellis duobus aut tribus quos applicuerant, nihilominus adhuc dens immobilis permanebat. Tum ille: «Orandum nobis,» ait. «Nec enim habere possumus, nisi Martyr ipse concedat.» Facta denique oratione reverenter ac-

cedens, incredibili facilitate duobus tulit digitis, quod ferreis ante moveri non poterat instrumentis.

2. Fratres autem Jerosolymitani Templi, fidelis militiae professores, cum novam habere eo tempore domum in Urbe cœpissent, redeunte prædicto Patre specialique patrono suo, tunicam ejus pro eximia benedictione servabant; apud quos eodem anno sacerdos quidam gravissima febre correptus desperabiliter ægrotabat. Ut autem omnino deficiens devenisse visus est ad extrema, portari sese in oratorium, et prædictam beati Viri tunicam supponi sibi fecit, in sola positus expectatione exitus mortis: cum subito raptus in quemdam mentis excessum, ac veluti jam carne solutus, videre sibi visus est corpus suum eodem quo jacebat in loco exanime, jam circumdatum multitudine sacerdotum apertos tenentium libros, et celebrantium exsequias ex more solemnes **1131** Nec mora, in vultu habituque prædicti Patris sancti reverenda quædam persona prodians ex altari, manu illis innuit ut tacerent, voce pariter prohibens ne mortuum reputarent, cujus vitam Claræ-Vallensi Abbati donaverat Deus. Confestim denique ad se rediens, sanum se reperit, et quod viderat fratribus indicavit. Qui quidem, ut a fidelibus viris nuper accepimus, hodieque superstes et in partibus Aquitanie degens, beneficium quod accepit seculo confitetur, ipsius præconio, cujus merito vivens. Si quis hoc minus miratur, animadvertat de beato Nicolao ex innumeris quibus est decoratus miraculis, in natalis ejus annua commemoratione tanquam eximium commendari, quod imperatorem Constantinum ab interitu quorundam longe constitutus per visum deflexit.

3. Nec illud dissimile est quod annectimus. Abbas Gerardus de Moris (69), quod est monasterium proximum Claræ-Valli, testatus est nobis vidisse se eum aliquando psallentium fratrem circuire choros et sicut frequenter agebat, excitare torpentes ita ut affectuosius et virilius psalleretur quod reliquum fuit vigiliarum. Cumque die sequenti apud eum familiariter causaretur tardius illum quam oportuerat ea nocte visitasse psallentes: « Ego, ait, nocturnis horis corporeo occupabar incommodo: sed quo non potuit corpus spiritus venit. » Expavit ille audiens non adfuisse in corpore, quem tandem ipse corporeo spectasset obtuitu, circumventem utrumque choram, et dormitantes quosque, ut consueverat, excitantem, et manum singulis imponentem.

4. [Tempore, quo Pater sanctus apud Urbem morabatur, contigit fratrem quemdam, Robertum nomine, in Clara-Valle graviter infirmari. Huic apparuit juvenis quidam, similis fratri infirmario, præcipiens ut sequeretur se, Visum est quod sequeretur præeuntem, venitque ad montem excelsum, in quo Dominum invenit Jesum cum Angelis

(69) Gall. *Mores*, ordinis Cisterciens., in diocesi. Lingonensi fundat. an. 1153 a Samsone Remensi archiepiscopo.

A suis, audivitque eum illi ductori suo dicentem: « Custodi mihi istum. » Jamque misit etiam Dominus in cor ipsius infirmi quædam verba, quæ suæ Claræ-Valli per illum mandavit. Facto ergo mane, resedit qui moriturus, illico putabatur, mirantibusque omnibus, dominum Godefridum, tunc Priorem, nunc Lingonensem episcopum vocari fecit. Cui præsentem inter cætera dixit: « Mandat vobis Dominus, ut domos amplas faciatis, quæ gentem possint capere, quam ipse multam missurus est vobis: fratribusque grangiarum mandate, ut honeste se habeant, formamque boni exempli hominibus sæcularibus præbeant; quia vae ei per quem unus retro abierit. » Post dies ferme viginti, cum eadem adhuc valetudine desperabiliter laboraret, admirabilis Pater Bernardus corpore absens, sed spiritu præsens, Claram-Vallem advenit, languentem visitavit, matutinos hymnos circa eum cum ingenti fratrum multitudine decantavit, noctemque illam ibidem juxta illum fecit, et mane facto, idem frater sanus apparuit, modum etiam suæ liberationis fratribus indicavit.]

5. Ad mulatorum aures famam credimus pervenisse viri venerabilis Guillelmi, qui olim Montis-Pessulani dominus, nunc verus Christi pauper et humilis monachus, degit in cœnobio, quod Grandissilva (70) vocatur. Ipsius relatione didicimus, quod dicturi sumus, sicut ab ejus ore, cui contigerat, se accepisse dicebat. In civitate Auxitanorum, quæ metropolis est Vasconie, miles quidam infirmabatur. Cujus cum inferiores corporis partes a renibus et deorsum morbus sæviens occupasset, erat diebus multis lecto decubans, non modica parte præmortuus. Compunctus denique et confusus de misericordia Dei, ad Servum ejus, cujus circumquaque tam celebris sese virtutum fama diffuderat, quocumque labore se præcipit deportari. Jam per dies aliquot processerat, profeceratque non minus in fide et devotione, quam in itinere ipso; cum miseratus hominem Deus, mirabiliter satis et infirmitati ejus subvenire dignatus est, et parcere fatigationi. Occurrens enim quidam in via, quisnam esset, aut quo tenderet inquisivit. Acceptaque itineris ejus necessitate: « Ego, ait, ex parte illius Sancti præcipio tibi, ut revertaris, sciens quod ubi domum veneris, **1132** sanus eris. » Persuasit illi Deus ut crederet, cujus nimirum dispositione omnia gerebantur. Rediit, rediensque paulatim recepit eam, quæ sibi promissa fuerat, misericordiam, ut non prius domum pertingeret, quam plenariæ donum perciperet sospitatis.

6. [Anglorum quoque regina Mathildis, tantum huic famulo Dei exhibuit aliquando devotionis affectum, ut venienti Boloniam extra urbem cum populo pedes occurreret, gravida tamen ipsa, multumque jam gravis. Quæ post dies aliquot, ut pa-

(70) Vulg. *Grandselve*, in diocesi Tolosana, fundat. an. 1144.

riendi tempus advenit, tam graviter est afflicta, ut tam ipsa, quam domus omnis, de vita ejus penitus desperarent: jamque omni reliqua suppellectili pauperibus et ecclesiis delegata, vestis etiam regia pararetur in qua sepeliretur, tanquam protinus moritura. Tum subito recordata Hominis Dei, et nomen illius invocans plena fide, in ipsa protinus invocatione sine periculo partum edidit desperatum. Nec distulit legatum destinare fidelem per quem gratias ageret celebri subventori, ipsum sic natum, non immerito natum ejus appellans (71). Verum ille, quoties tale aliquid contigisset audire, non minus humiliter, quam jucunde refutans, dicere consueverat: « Hoc certe mihi sic est impudentum, sicut ei qui conscius omnino non fuit. »

7. In monasterio, cui nomen est Bella-Vallis (72), prope urbem Chrysolim, homo quidam a dæmone vexabatur, mira eo instigante faciens, mira loquens. Post multas igitur orationes fratrum, cum improbe persisteret illa nequitia spiritualis, recordatus est venerabilis abbas loci illius Pontius hodieque superstes, habere se stolam, qua beatus Pater aliquandiu usus fuerat in oblatione hostiæ salutaris. Nec cunctatus tulit protinus arma potentia Deo, et fiducia- liter aggressus est inimicum. Vix limen attingerat cellulæ, in qua miser homo jacebat, cum subito ille malignus horrendis vocibus victum se profitens:

« En, inquit, egredior, recedo protinus; manere ultra non possum. » Respondente autem Abbate, « Per nomen Domini, et ipsius beati Viri meritum, cujus hæc stola fuit, tibi præcipio, exi citius; ne moreris: » continuo dæmon fugatur ab homine, homo liberatur a dæmone. Quis alter non periculose forsitan exsultasset, usque adeo sibi spiritus esse subjectos ut cederent et absenti? Verum ille Abbatem ipso nuntiante nil motus magisque subsannans eos quod videbat magna super hoc admiratione moveri, hæc eadem verba respondit: « Quidni facile nos duo prævaluissemus in unum? Leviter illum ejicere potuit Deus, præsertim cum ego, ut dicitis, ei socius datus sim et adjutor. » Hujusmodi nempe responsis in hujusmodi rebus sæpius utebatur. Noverat siquidem verus et verax non ostentator, sed æmulator humilitatis, efficacius dissuaderi posse hominibus quod stupebant, obliqua quadam et artificiosa objectione, quam aperta excusatione, quæ humilitatem magis prædicabilem præferendo, existimationem non minueret hominum, sed auget. Unde quodam loco ex propria loquens experientia: « Verus, inquit, humilis vilis vult reputari, non humilis prædicari (73). »

#### CAPUT II.

*De spiritu prophetiæ, et revelatione futurorum, qua claruit.*

8. Illud quoque notissimum fuit, quod adhuc in carne degens, apparens autem in spiritu, fratri cuidam obitus sui prænuntiaverit diem. Infirmabatur

(71) Vide epist. 315.

(72) Ordinis Cisterciens fundat. an. 1119.

novitius quidam frater in Clara-Valle, bonæ conversationis et bonæ indolis adolescens. Nec longe aberat dies, qua post annuam ex more probationem, novum iadueret hominem, si non prius hominem exisset. Siquidem consummatus in brevi, explevit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius. Quinto igitur die ante ultimum diem suum, visitante se fratre quodam [Gerardo, qui hodie abbas est monasterii Longipontis], idem novitius exhilaratus plurimum, inter alia spiritualis gratiæ verba: « Ecce, inquit, quinta moriar die. Hodie enim mihi pater noster dominus Abbas apparuit cum multitudine monachorum, et blanda consolatione refovens, quinto die moriturum me esse dicebat. » Exiit sermo inter fratres, et antequam **1133** impleteret divulgatum est verbum. Expectabatur ab omnibus dies illa, sed præ omnibus ille beatus in expectatione sua fuit. Jam dies quinta inclinabatur ad vesperam, illius autem spiritus magis ac magis elevabatur ad Dominum. Demum circa undecimam horam in ipso mortis agone positus, obducto prorsus, ut assolet, lumine oculorum, et nemini jam intendens, ad exitum festinabat. Interim visitans eum Pater sanctus, velut ab alto somno revocat, et quasi retrahit commeantem, nec insalutatum abire permittit. Ad cujus vocem aperiens oculos, et mirum in modum facie serenata, aliquandiu intendebat in eum. Mirabamur omnes mortalem hominem, imo jam morientem eatenus triumphare de morte, ut in ipso mortis articulo exsultaret in gaudio, pulcherrime nobis exhibens illud poetæ:

*Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem.*  
(Virg., *Bucol. ecl. 4.*)

Tum vero consolans eum Pater sanctus, nihil timere jubet, sed recto protinus cursu pertingere ad Dominum Jesum Christum, et offerre ei humilem pauperis suæ familiæ salutationem. Ad hanc vocem qua potuit capitis inclinatione et motu annuens labiorum, iterum clausit oculos, et eadem hora in pace quievit.

9. Multa quidem huic famulo Dei revelata per Spiritum, multa sine præcedenti revelatione mirabiliter ab eo prædicta cognovimus: ex quibus exempli gratia pauca subnectimus. Cum esset aliquando Pater sanctus in urbe Noviomensium in domo episcopi Simonis, adductus est ad eum Herveius de Baugenceio, puer admodum graciosus, ortus ex regio sanguine, et ipsius episcopi nepos. De quo sequenti nocte famulo suo Christus ostendit, quod erat post tempora longa futurum: siquidem videbatur sibi tanquam in Missarum celebratione angelo cuidam pacis osculum dare, quod ad puerum deferretur. Nec dubius de revelatione eundem Herveium reannuntiarum sæculo, et futurum aliquando devotum Christi famulum promittebat, Quæ promissio tam celebris extitit et vulgata, ut ipse quoque Herveius nobis postea fateretur, adolescenti sibi ad omnes arguentis conscientie stimulos sem-

(73) Sermo 16 in Cantic.

per occurrere, impossibile esse ut post Viri sancti tale promissum, in sæculari habitu moreretur. Nec fraudatus est spe sua : siquidem venerabilis Walerannus Ursi-Campi cœnobii primus abbas monachum illum fecit, et angelico functus officio, pacem quam ex ore Patris sancti ipse susceperat, communicavit Herveio. Cujus talis postmodum apparuit conversatio, ut tali dignus oraculo videretur. Nam et prædicto Waleranno in regimine monasterii Ursi-Campi (74) ille successit; et novissime obitum suum imminens sanus adhuc et incolumis, eodem Waleranno per revelationem sibi annuntiante, præscivit atque prædixit.

10. Et quod addimus, huic simile fuit. Patrem sanctum fines Parisiorum aliquando peragrante, ut ad ipsam diverteret civitatem, episcopus Stephanus et cæteri omnes qui pariter aderant, obnixè rogantes non poterant obtinere. Magno siquidem zelo, nisi causa gravis urgeret, conventus publicos declinabat. Cumque vespere iter suum alias ordinasset, mane ubi primum locutus est fratribus, dicere jubet episcopo. « Quia Parisius ibimus, ut rogasti. » Conventiente igitur clero admodum copioso, sicut semper ad eo solebant expetere verbum Dei, continuo tres ex illis compuncti sunt, et conversi ab inanibus studiis ad veræ sapientiæ cultum, abrenuntiantes sæculo, et Dei famulo adhærentes : quorum ille primum intuens, cum subito inter loquendum surgeret, peteretque vestigia ejus, inclinavit se modice, et fratri cuidam propius assidenti in aure locutus est, dicens : « Istum ego, sicut nunc video, venientem nocturna visione prævidi, propter quem etiam Dominus nos adduxit. » Qui nimirum novitius in multa postmodum puritate et devotione conversatus, plurimumque acceptus Deo et hominibus, in Clara-Valle post annos aliquot beato fine quievit. Apparuerunt aliquando Viro Dei in Trecensium urbe posito venerabiles ejus filii, jam quidem carne soluti, Galdricus et Gerardus : quorum etiam secundum carnem alter germanus, alter avunculus ejus exstiterat. Cumque velut accelerantes ocius pertransirent, revocanti **1134** et retinere volenti respondebant, eundem sibi pro fratre Gaufrido monacho, qui eorumdem a prima conversione socius, strenue satis in multis cœnobiis exstruendis militaverat Deo. Continuo Pater sanctus excitatis fratribus accelerari jubet, et ad monasterium veniens, ipso die, sicut eis prædixerat, eundem Gaufridum jam positum reperit in extremis.

11. [Infensus aliquando rex Francorum senior Ludovicus quibusdam sui regni episcopis, suis eos sedibus et civitatibus exturbavit. Unde etiam hic Vir reverendus plures scripsit epistolas, pro eorum pace laborans, quarum hodieque exemplaria perseverant. Accidit autem, ut præsentem eodem Patre sancto, episcopi multi indignationem Regis flectere

(74) *Ourschamps*, in diœces. Noviomensi, fund. an. 1129, a Simone episcopo.

cupientes, tota humilitate prostrati solo tenus, ejus tenerent vestigia, et nec sic gratiam obtinerent. Quæ ex re Vir Dei religiosa animositate permotus, die altera Regem durius increpans, quod Domini sacerdotes sprevisset, libere quoque denunciavit, quod eadem sibi nocte fuerat revelatum : « Hæc, inquit, obstinatio primogeniti tui Philippi regis morte multabitur. Vidi enim te cum minore filio tuo Ludovico ad pedes episcoporum, quos heri contempseras, inclinatum : et protinus intellexi, Philippo celeriter facto de medio, pro Ludovici substitutione Ecclesiam, quam nunc opprimis, te rogatorum. » Quod quidem non longe post miserabilis casus implevit : et decedente Philippo, egit pater, ut is, qui feliciter hodie regnat, Ludovicus junior ungeretur.]

### CAPUT III.

*De variis futuris eventibus spiritu prophetico ab eo prædictis.*

12. Fidelissimum principem Theobaldum comitem, in magna tribulatione probatum, non minus mirabiliter quam misericorditer Dominus liberavit. Is nimirum potentissimus in regno, et secundus a rege, totus tamen eleemosynis deditus, et studio pietatis intentus, omniumque servorum Dei, sed specialiter Bernardi Claræ-Vallensis amator devotissimus erat. Quem eatenus impugnari et affligi passus est Deus, ut Rege pariter et vicinis potentibus fere cunctis adversus eum conjurantibus, usque adeo de ejus evasione desperaretur, ut publice quoque jam insultaretur religioni, pietati detraheretur, eleemosynis derogaretur. Monachi et Conversi, inutiles ejus milites et balistarii dicebantur. Nec modo apud extraneos, sed in ipsis quoque ejus civitatibus et castellis ejusmodi jam blasphemiarum personabant. Denique congregatis aliquando episcopis pluribus, aliisque personis, præsentem etiam Viro Dei, dum super his agerent et colloquerentur, episcopus quidam eo tempore, auctoritate et opinione prudentiæ celeberrimus aiebat : « In manu Regis est comes Theobaldus, non est qui possit eum eruere. » Respondente alio quodam antistite, « Est qui possit liberare eum : multum ille miratus quisnam crederetur posse, quærebat. Demum audiens quia potest eum eripere qui omnia potest Deus; non parum substomachans : « Potest, » inquit, « si manifestus appareat, si clavam teneat, hinc inde percutiat; sed hactenus ista non fecit. » In tanta igitur desperatione, cum prædictum principem vehementer urgerent extranei, gravius tamen impugnarent qui ab eo defecerant universi pene potentes homines sui; nec minus illum affligerent pauci qui residui videbantur, ex aliorum defectu ipsi quoque suspecti : Lingonensis episcopus Godefridus frequenter et familiariter Dei hominem consulebat, quidnam sibi Dominus super his revelaret. Cui ille, cum jam sæpius respondisset, nihil sibi apparere nisi tribulationem super tribulationem, demum aliquando

seiscitanti, ait, quia quinto mense pax erit. Sane ultima die quinti mensis reformata est pax, ipso quidem et orante, et operante, ut non esset ambiguum ejus potissimum studio et merito piissimum illum principem a tam gravibus imminentibusque periculis liberatum.

13. [Post annos aliquot inter eundem regem Francorum, et Gaufridum comitem Andegavensium exercebantur **1135** inimicitie graves. Causa erat, quod virum nobilem Gerardum de Monasteriolo, Rege prohibente, in munitissimo oppido suo Comes obsidens, comprehenderat cum uxore ac liberis et propinquis, ipsamque diruerat munitionem. Tractabat ergo Vir sanctus de reformanda pace, multis ad hoc ipsum episcopis et principibus congregatis : cum subito Comes ille amaritudinis felle commotus, insalutatos omnes relinquens, equo insiliit, et recessit. Confusus denique omnibus, jam conventus in desperatione pacis solvebatur, et prædictus Gerardus accedens ad Hominem Dei, licentiam postulabat, velut in mortem et carcerem rediturus. Sub obsidibus enim ad colloquium illuc erat adductus. Cumque Vir Domini consolaretur eum, gravius ille flens et ejulans : « Meam, inquit, minus doleo sortem : meos omnes luceo pariter morituros. » Compassus itaque Vir beatus : « Ne timeas, ait. Certus esto quia Deus tibi tuisque subveniet, idque celerius quam valeas vel sperare. » Siquidem recordatus visionis, quam veniens ad id colloquium viderat, tanquam lecturum se Evangelium, a sancto episcopo Malachia petere benedictionem, confusus est pacem sine dubio proventuram. Necdum Gerardus ille limen domus attigerat a facie ejus egrediens, cum subito quidam occurrens, redire comitem nuntiavit. Mirati sunt omnes, tam celerem audientes promissionis effectum. Eadem etenim hora comes rediit, et pariter pax desiderata provenit. Erat autem idem comes pro eodem negotio ex mandato summi Pontificis anathematis vinculis innodatus; sed absolvendus humiliari, ut debuit, vel culpam super hoc fateri suam, penitus recusavit : magis autem, ut erat plurimum animosus, Deum sibi culpam hujusmodi nunquam remittere imprecabatur, innocentem se reputans et injuste ligatum. Quamobrem discessit Pater sanctus non parum tristis ab illo, dicens ei, siquidem litteras noverat, « In qua mensura mensus fueris, remetietur tibi (Matth. VII, 2). » Eadem autem die, causantibus super hac improbitate personis quibusdam, et principem illum graviter errasse dicentibus, accensus zelo Dei Famulus, aiebat : « Graviter satis hæc temeritas punietur. Fieri omnino non potest, quin hoc eodem anno comes ipse aut moriatur, aut evidentem aliam divinæ indignationis sentiat ultionem. » Hoc verbum et ex ipsis, et ex aliis audire non pauci. Quod tam celeriter est impletum, ut comes idem infra diem quintum decimum moreretur.]

14. Ingressus aliquando Servus Christi Germaniæ regnum, festinabat ad partes Moguntinorum, pacem

PATROL. CLXXXV.

reformaturus inter regem Lotharium, et prædecessoris ejus imperatoris Henrici nepotes; Conradum scilicet, qui Lothario postea successit in regnum, et Fridericum patrem hujus Friderici, qui post Conradum electus obtinet hodie principatum. Venerabilis autem metropolitanus Moguntinorum Albertus honorabilem quemdam clericum, nomine Mascelinum, Viro Dei obviam misit. Hic igitur Mascelinus cum a domino suo missum se esse diceret ad serviendum ei, paulisper intuitus illum Vir Dei : « Alius, inquit, Dominus ad sibi serviendum te misit. » Expavit Teutonicus, et miratus quid dicere vellet, firmius asserebat a domino suo Moguntino sese archiepiscopo destinatum. Econtra Servus Christi : « Falleris, ait, major Dominus est, qui misit te, Christus. » Tunc demum intelligens homo quorsum vellet vibrare sermonem : « Putas, inquit, quod monachus fieri velim? Absit a me; non cogitavi, nec ascendit super cor meum. » Nihilominus tamen renuente illo. Dei Famulus affirmabat omnimodis fieri oportere, non quod ipse de se cogitaverat, sed quod de eo disposuerat Deus. In eodem denique itinere conversus ad Dominum sæculo valefecit, et cum aliis pluribus litteratis honoratisque personis, quas collegit eo tempore Servus Christi, ipse quoque, sicut sibi prædictum fuerat, secutus est eum.

15. Henricum quoque germanum regis Francorum, qui Belvacensem hodie cathedram ornat, non dissimili Dominus conversione mutavit. Accidit enim ut veniens idem Henricus ad Hominem Dei super quodam sæculari negotio locuturus, conventum etiam fratrum visitans eorum sese orationibus commendaret. Cui Pater sanctus **1136** inter verba sanctæ exhortationis : « Confido, » ait, « in Domino, nequaquam in eo te moriturum in quo nunc positus es; sed velociter experimento proprio probaturum, quantum tibi istorum prosit oratio quam expetisti. » Quod eodem postmodum die non absque multorum admiratione completum est, et de tanti juvenis conversione cœnobium omni exultatione repletum. Lugentibus autem sociis, et familia tota, ac si mortuum illum cernerent, ejulante, præ cæteris Andreas quidam Parisiensis Henricum ebrium, Henricum vociferabatur insanum, nec conviciis, nec blasphemis parcens. Econtra sane, idem Henricus pro illius potissimum conversione Dei Hominem dare operam precabatur. Cui Vir sanctus audientibus multis : « Dimitte, ait, hominem; modo anima ejus in amaritudine est, nec pro eo multum sollicitus sis, quia tuus est ille. » Cumque amplius spe concepta Henricus instaret ut loqueretur Andræ, severius intuitus eum Vir Dei. « Quid hoc est, ait? nunquid non jam dixi tibi, Tuus est ille? » Audiens hæc Andreas, astabat et enim et ipse, sicut plurimum improbus erat, et a sacra conversatione vehementer abhorrens, talia secum, ut hodieque fatetur, tacita cogitationeolvebat : « In hoc nunc scio falsum te esse prophetam. Hoc enim certus sum quia locutus es verbum, et non fiet. Hoc tibi ego coram Rege et princi-